

fluctibus freti undantis immergi, alios in praerupti montis saxa conlidi, nonnullos ad alia littora contendendo properare et subito vi tempestatis impulsos ad alia deduci, plures obruente unda saevientis profundi ima penetrare,
45 aliquos tabulae unius auxilio ex fragm^ento n^evis invento
a morte defendi, quosdam pro gubernaculo atque remigiis manibus tantummodo suis uti, alios autem videat
supra turbidos fluctus multiformi atque multiplici genere
cadavera ferri. Ita ergo qui militat Christo cum se a tem-
50 pestatibus atque turbinibus vitae istius separarit, con-
sistit in arduo semper ac tuto securus loco. Quid enim
celsius potest esse, quid tutius quam unam tantum nos
sollicitudinem gerere, quemadmodum Deo placere possi-
mus. Vidisti certe, Theodore, naufragia in huiuscemodi
55 pelago navigantium, quare obtestor et deprecor, fuge
maria undasque declina, et celum illum atque a peri-
culo captivitatis immunem occupa locum. Resurrectio-
nem, Theodore, non ambigis fore et illud caeleste iudi-
cium, quod nos post finem vitae huius exspectat. « Omnes,
60 inquit, nos adstare oportet ante tribunal Christi. » Non
incassum gehenna cum minis denuntiatur, nec frustra
tot ac tantorum bonorum praemia praeparantur. Umbra
autem quaedam ipsisque umbris inanior nequiorque est
conversatio saecularis plena periculorum, plena terro-
rum et extremo cuidam servitio subiugata. Ne quaeso et
praesentis temporis bonis te fraudaveris et futuris. Licet
autem tibi utrumque lucri, si velis, facere ; nam, quod qui